Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis Bvgenhagii Pomerani Annotationes ab ipso iam emissæ. In Deuteronomium

Bugenhagen, Johannes

Basileae

VD16 B 9247

Capvt XVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36133

Visual Library

Tab.ſuo.] Gladius tamen poſtea inuenitur in tabernaculo domini, infra capite xxi.

De qua ſtirpe. Mirũ hoc, quod uidetur non noſſe, quem antea dilexerat armigerũ, ſed de progenie interrogat, cuius facile oblitus fuerat rex, & præterea ſtupor & admiratio tenuit regẽ. Adde quod de progenie interrogat, nam promiſerat filiã Philiſtæi occiſori. Verũ quam fraudem hac occaſione ei intentet, uidebis capite ſequenti.

CAPVT XVIII.

Idem uidimus Dauidis, quam neceſſe eſt ſequi crucem, & fidei probationem. Atque hæc ipſa gloria deuicti Goliath occaſio eſt perſecutionis, dum Saul nõ fert ſibi aliquẽ præferri, ut uideamus ſanctos utcunq; peccatores, tamen non propter peccata, ſed propter iuſticiam pati perſecutionem. Quo enim honore nõ dignus fuiſſet Dauid, pro tã ſancto facinore? Sed oportet fieri, quod Chriſtus dicit in Pſal. Pro eo ut me diligerent detrahebant mihi &c. Diuerſi uero deſcribuntur in ſequẽti ſcriptura Ionatas & Saul propter dauid. Ille pius ut ſupra uidimus, inſignes in eo amat uirtutes & pietatem, ſcd'm illud, Qui timent te uidebunt me & lætabũtur, quia in uerba tua ſperaui. Hic autem impius non poteſt non odiſſe & perſequi pie-

tatem. Hic timet ne amittat gloriam & regnum, ille
ad quem poſt patrem regnum pertinuiſſet, non ſua,
ſed quæ dei ſunt, reſpicit. Sed ferè fit, ut dum alij no-
bis fauent, & alij inuidēt & oderunt, illi occultiores
ſint & infirmiores ſcd'm mundū, quàm ut tutari poſ-
ſint, hi autem potentiores & plures. Ita & hic, id qd'
deus curat nobis, ut omnibus deſpatis uideamus eius
erga credentes miſericordiam & manum protegen-
tem, etiam in media morte & inferis, ut non ſimus
(ait Paulus. 2. Cor. 1.) confidentes in nobis. Præterea
ut ſcias, quàm non negligēter ſint nobis legenda ſim-
plicia, ut apparēt ſcripturæ uerba, in hoc capite ma-
nifeſte depingit nobis in Saulis inuidia peccatum il-
lud in ſpiritū ſanctum, dum non ſemel inculcat, quod
Saul cognorit dominum à ſe receßiſſe, & eſſe cū Da-
uide, & tamen omni conſilio & ſtudio egerit ut oc-
cideret eum, id quod eſt manifeſte contra agnitā ue-
ritatem, atque adeo contra deum, quem uides eße in
proximo, pugnare. Non eſt hic error aut ignorantia,
ſed mera inſipientia & deſperata impietas. Confidi
mus multos, qui hodie Euangeliū perſequūtur, igno-
rantia peccare, ut Paulus peccauit, De quibuſdam ue
ro timemus, ne ſint Saules & phariſæi, qui utcunq;
uideant ueritatem à nobis ſtare, tamen ſuæ ambitio-
ni & cōmodo conſulentes perſequuntur Euangeliū
gloriæ magni dei. Pro illis oramus, Iſtos aūt neceſſe

eſt iudicio dei perire, qui uero ſint, deus nouit, Sen-
tentiam nō ignoramus, Qui peccauerit in ſpiritū ſan
ctum &c. & in ep'la Io. Eſt peccatū ad mortē, non di
co ut &c. Tulit eum Saul.] Et infra, poſuitq; eum
Saul &c. ut ſcilicet per tantū uirū glorioſus ipſe eſſet
triumphis, quemadmodum ſupra cap. 14. dictum eſt,
Quemcūq; uiderat Saul uirū fortem & aptū ad præ-
lium ſociabat ſibi. Vbi uero uidit nō omnem gloriā
ad ſe redire, inuidia contabuit, inſaniuit, & occidere
tentat eum in quo certo ſciuit dominū inhabitare.
ALLEGORIA. Chriſtū hodie exaltare uolunt
hypocritæ & phariſaicū regnum, & prædicari eius
gloriam, ut ipſi magni habeantur & ſaginentur, ubi
diuerſum uiderint, Chriſtum cupiunt deiectū & occi
ſum cum omnibus qui eius gloriam, quod ſit dei iuſti-
cia, confitentur. Spiritus dei malus.] More fatidi
corum prophetat, ſiue concionatur actus ſatana, ſibi
uidetur bene dicere, cæterū alij intelligunt errorem.
Figura illorū qui pſeudoprophetæ dicuntur ubiq; in
ſcripturis, qui prophetāt mendaciū fingentes ex cor-
de ſuo, non habentes dei uerbū. i. fidem, utcunq; uide
antur uerbū dei dicere, in extremo iudicio dicēt, Do
mine, nónne in nomine tuo prophetauimus &c. Et ſa
tanas dicit. 3. Reg. 22. Egrediar & ero ſpiritus men-
dax in ore omnium prophetarum eius. Tales menda
ces ſpiritus ſequentes doctrinas dæmoniorum nō ſu-

ſtinent Dauidem pſallentem.i.eum qui canit canticũ
ſiue prædicat uerbũ domini,ſed perditũ uolunt.&c.
Tribunum.] Ne haberet ſub ſua poteſtate totum
exercitũ ut ante. Ecce filia.] Vtcunq; in ſpeciem
optimi uiri uideantur hypocritæ,utcũq; ſibi boni ui-
deantur,& fingant ſibi excuſationes in peccatis, ut-
cunq; dicant nobis,non licet interficere quenq̃,ne fia
mus irregulares , non ingredimur in domum Pilati,
quia mundi ſumus, &c. Tamen ſcriptura uocat eos
uiros ſanguinũ,& doloſos, & mendaces, & opera-
rios iniquitatis &c.Pſal.5.57.139.Eſa.59.&c. qua-
lem ſe hic prodit Saulis hypocriſis uſq; ad finẽ cap.

CAPVT XIX.

VEraci Ionatæ oratione perſuaſus Saul,
iurat ꝑ deum ,ſe nõ occiſurũ Dauidem,
& tamen odium ponere non poteſt,ut ui
deas,quàm homo nõ habeat liberum ar-
bitrium. Aguntur alij ſpiritu maligno ut Saul,alij ſpi
ritu dei ut pij,Ro.8. Atq; id ut maxime quandoq; nõ
uideamus,tamẽ data occaſione ſeſe prodit. Nam, ut
beatus uir uelut arbor bona dat fructũ ſuum in tem-
pore ſuo,quemadmodũ dicitur Pſal.1.Ita impius da-
ta occaſione ſuæ incredulitatis ædit fructus.Exemplũ
hic habes Saulis,qui ne iuramentũ quidem ſuũ penſi
habens,quærit Dauidem ad mortem,poſtq̃ fortiter ſe

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN